



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1711

§. I. Nostra ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

struunt, sed ut domini, qui iubent, & ideo
regere S.P. Ignatius ius Filii consilii, ne
iubeatis personam, an sit doctor, & pru-
dentior, respiciant, sed Christi D. cuius vice
fungitur. Ideo quoque, ut praxis ostendit,
quoties disputatur de re controversa, non so-
lent a Regibus vocari Prælati, sed Theolo-
gi, in illis ergo vis dominativa voluntatis in
his vis illustrativa intellectus reidet.

Tandem, ut constet nostrarum rationum
efficacia, audiatur ipse Palanco qu. 38. n. 46.
c. 33. ubi ait, quod hæc ultima de Supe-
rioribus doctrina patitur aliquas exceptio-
nes; potest enim probabilitas pro eo quod
opus sit illicitum, adeo excedere probabili-
tatem pro licito, ut etsi addatur autoritas
Prælati, non sit sufficiens, ad hoc ut subdi-
tus rationabiliter dubitet, an opus sit lici-
tum, vel illicitum, sed adhuc stante præce-
pto Prælati prudenter subditus subsistat in
sua opinione, quod opus præceptum non sit
licitum, & tunc dico, (N.B.) quod subdi-
tus nec potest licite, nec tenetur obedire,
quia conscientia propria prudenter retenta
magis obligat, quam præceptum Prælati.
Hæc Palanco. Ecce impossibilis obedientia,
quoties, stante præcepto, subditus adhuc
probabiliter iudicat rem præceptam esse illi-
citam.

Dices ex eodem n. 46. Ut subditus, stante
suo iudicio sibi probabiliori de non licetia,
obedire possit, satis esse, ut suum iudicium
iudicio Superioris negativè conformet, ju-
dicando non esse illicitum, quod præcipi-
tur, non autem positivè, iudicando licitum,
qui est perfectissimus (ait n. 50.) obedienti-
æ gradus. Sed contra 1. quia alibi docet,
quod necessarium semper sit directum de-
licentia iudicium: ergo sibi contradicit: 2.
quia erunt simul in subdito duo iudicia con-
tradictoria, nempe proprium, Res est illicita;
& aliud negativè conforme cum iudicio Su-
perioris, Res non est illicita; & recurrunt con-
tra hoc iudicium negativum omnia, que
contra positivum.

SECTIO II.

Sanctur ex Sacramento Penitentia.

§. I.

Nostra ratio.

SUMMARIUM.

Sicut quæstiones, n. 72.
Tamen Confessor, quum in penitente, necessa-
ria iudicatio, n. 73.
Penitens non tenetur sequi opinionem Confes-
oris, n. 74.

Nostra ratio, suppositis Contrariorum principis
est insolubilis, n. 75.
Probabilista, & Probabiliorista licentes, quod
auditis peccatis Confessor tenetur absolvere
penitentem, n. 76. 77.
D.D. negantes, n. 78.

Si penitens non est ritè dispositus, nisi sequatur
sibi probabiliozem, ita nec Confessor, n. 79.
per totam sectæ.
Confessor a nullo iudicio dirigi potest, ad abso-
luendam, & tam peccabit absolvendo, quam
non absolvendo, n. 82. & 83.

Suppono 1. ut rationi locus sit, peni- N.
tentem, & Confessorem oppositas sequi 72.
ex classicis opinionibus, ita ut cuiusbet pro-
pria sit probabilior, Dico ex classicis, ne a
quæstionis exordio Adversarii suis muta-
tionibus nos divertant, nam si Confessor se-
quatur singularem, docent deponendam ab
eo esse, & penitentem absolvendum; non
ita si non singularem. Dico, ita ut propria sit
cuique probabilior, negant enim absolvendum
penitentem, si minus tutam minus proba-
bilem sequatur. Itaque ne nos divertant,
loquor de classicis opinionibus autoritari,
& rationi gravi mixis, & de Confessario, &
penitente, quibus propria sit probabilior: ex-
gr. Confessor probabilius iudicat peniten-
tem teneri restituere; penitens probabilius
se non teneri. Quæritur, an dato quod Con-
fessori sequi non liceat alienam libriminus
probabilem, & minus tutam; nec ei liceat
hinc iudicio directo operari, aut satis non sit
relexum de certâ probabilitate opinionis
penitentis, aut mixum alteri principio mo-
rum, (hæc enim omnia Adversarii licite
negant) an Confessor absolvere possit peni-
tentem oppositum ut sibi probabilius opi-
nantem?

Suppono 2. ad Sacramentum Peniten- N.
tiæ, ut licite conficiatur, requiri tam in 73.
Confessore, quam in penitente suas dispo-
sitiones: in illo, ut licite absolvat; in hoc,
ut licite absolvatur. In penitente requiritur
dolor supernaturalis, & firmum propo-
situm, & dictamen, quo iudicet se rectè dis-
positum. In Sacerdote requiritur status gra-
tiæ, iurisdicctio in talem penitentem, & di-
ctamen quo iudicet se ritè dispositum, ut
absolvat. Hinc constat, quod potest peni-
tens esse ritè dispositus, ut licite absolvatur;
non ita Confessor, ut licite absolvat; potest
enim in hoc deesse, vel sufficiens iurisdicctio,
vel status gratiæ, vel dictamen, quod licite
absolvat.

Suppono 3. quod etsi penitens sit subdi- N.
tus, & Confessor sit Superior, non sequitur, 74.
quod

quod sicut subditus exercitè saltem tenetur sequi sui Superioris opinionem; ita & pœnitens sui Confessari; nam, ut rectè inter alios M. Tapia *tom. 1. lib. 1. qu. 8. art. 6. n. 7.* superioritas Prælati, cum sit regiminis, est in commune subditorum bonum; at Confessoris superioritas est facultas in pœnitentium favorem, quorum intuitu Dei misericordia hoc Sacramentum instituit.

N. 75. En modò ultima nostræ conclusionis ratio, & quidem positus Probabilioritarum principis, quod nemo licetè operetur nisi sequatur sibi probabiliorè; quod semper directum moraliter certum de materiali honestate iudicium necessarium sit; quod non satis reflexum certum de probabilitate iudicium, aut nixum alicui morum regulæ: en, inquam, ratio, me iudice, insolubilis. Confessor probabilis iudicans reitutuendum esse, potest, & si potest, auditâ confessione tenetur absolvi pœnitentem probabilis putantem, se non teneri restituere, ut præter Probabilitas, ferè omnes Probabilioritæ docent: sed positis relatis principis non potest cum absolvi: ergo vel eorum principia, & sententia est falsa, vel si sunt vera, Confessor numquam poterit absolvi pœnitentem oppositum opinantem.

N. 76. Maior est ferè omnium T. T. cum P. Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 5. P. Valqu. 1. 2. d. 82. cap. 7. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 28. P. Ovied. 1. 2. contr. 3. n. 37. P. Teril. de Reg. Mor. qu. 37. M. Tapia l. c. M. Soto in 4. dist. 8. qu. 2. art. 5. ad 5. P. Valentia tom. 2. d. 5. qu. 7. P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 6. qu. 1. & quotquot sustinent, quod Confessor teneatur absolvi moribundum, quoties adest opinio alicui certò probabilis, quos citat P. Moya l. c. immò quotquot iudicant pœnitentem absolvendum, dummodo pro ejus opinione stent DD. probatæ autoritatis, etsi ea opinio à Confessore ex rationibus intrinsecis iudicaretur falsa. Quaritur ex. gr. an moribundus, qui nulla doloris signa dedit, possit licetè absolvi? Si rationes considerentur, vix solida aderit, eam tamen sustinent S. Antonin. Diana, Caram. P. Raynaudus, Pontius in cursu Theol. *dist. 46. concl. 4.* & P. Moya l. c. n. 32. qui eorum formalia verba citat, & subdit se hoc firmiter sentire; nil enim mali inest in absolvendo sub conditione, ait Pontius, cum non sit certum de fide, nec evidens non posse tunc absolutionem prodesse. Sanè Divinam sapientiam Hugonis de S. Richar. in cap. 23. Matth. dictum: *Si erramus, nomine melius est propter misericordiam, quam propter crudelitatem**

rem deficere pœnitentem? An verò Confessor sub veniali tantum teneatur absolvi pœnitentem, ut P. Sanch. l. c. n. 24. & Card. de Lugo d. 22. num. 48. an sub mortali, lege P. Moya tom. 1. tr. 1. qu. 4.

Hoc ipsum quod Confessor licetè absolvat opinantem oppositum, sustinet ex Probabilioritæ, Adrianus, cujus verba dicitur supra num. 19. qui expresse ibi loquitur de Confessore; P. D. Thyrio *diff. 14. an. 1. 2. ad 116. Palanco qu. 36. num. 18. P. Muni. diff. 8. n. 108.* qui citat P. Scildere tr. 2. cap. 2. §. 1. quo tamen in loco nihil de hoc dicit, nisi cap. 9. n. 120.

Negant pœnitentem oppositum opinantem licetè a Confessore absolvi, Fagnanus, M. Merc. Philal. relati à P. Thyrio n. 120.

Minorem probò 1. quia, juxta Adversarios, quilibet operari debet juxta sibi probabiliorè; ergo Confessor, nisi sequatur sibi probabiliorè, absolvi non potest: sed Confessor absolvens pœnitentem opinantem oppositum, non sequitur sibi probabiliorè de obligatione restituendi; quin sub hoc iudicio absolvi pœnitentem restituere nolentem; hoc enim iudicium avertit Confessorem à danda absolutione: ergo vel Confessor non potest absolvi opinantem oppositum, vel si potest, non tenetur, dum absolvit, sequi sibi probabiliorè: ergo nemo tenetur ad sibi probabiliorè.

Secundò, pœnitens, juxta Adversarios, nisi sequatur sibi probabiliorè, non est ritè dispositus, adeo ut inde inferant, quod pœnitens sequens sibi minus probabilem absolvi non possit, nisi ad Probabilitatem ejusdem opinionis mittatur: ergo neque Confessor erit ritè dispositus, ut licetè absolvat, nisi sequatur sibi probabiliorè: ergo Confessor probabilis iudicans esse restituendum, absolvi nequit pœnitentem probabilis iudicantem se non teneri restituere.

Tertiò, quia quæro, à quo iudicio Confessor oppositum opinans dirigatur ad absolvendum eum pœnitentem? Non à reflexo certo de probabilitate opinionis pœnitentis; tum quia, juxta Adversarios, necesse semper est iudicium directum: ergo reflexum satis non est; tum quia, per eandem opinionem pœnitentis est Confessario non probabilis; volunt enim, quod omne probabilis enervet omnem certitudinem probabilitatis, immò omnem probabilitatem oppositæ. Non ab alio iudicio; assignetur enim: ergo positis eorum principis, Confessor nequit absolvi; vel si potest, eorum principia ruunt.

Quartò,

Quartò, quia in omni casu, quo Confessor, & pœnitens sint contrariæ opinionis, Confessor peccabit tam absolvendo, quam non absolvendo: non absolvendo, quia etiam, juxta Adversarios, si pœnitens suam opinionem putet sibi probabiliorē, tenetur absolvere; absolvendo, quia nequit absolvere pœnitentem, si Confessor judicet eum indispositum, etiam pœnitens se dispositum judicaret: sed Confessor judicans ex. gr. etiam restituendum, absolvit pœnitentem, quem Confessor suo judicio indispositum judicat, absolvit enim nolentem restituere: ergo etiam pœnitens suo judicio sit ritè dispositus, attamen judicio Confessoris opinantis oppositum non est ritè dispositus. Nisi ergo negetur lex obligans quemlibet semper ad sibi probabilius; vel nisi affirmetur iatis esse reflexum certum de opinionis oppositæ probabilitate judicium, vel aliud reflexum; vel dicatur, quod alteruter, sive pœnitens, sive Confessor teneatur semper suum judicium deponere, aut conformari in opinionibus, Confessor numquam absolvere poterit pœnitentem oppositum opinantem.

Dices: Omnis pœnitens ritè dispositus est absolvendus: sed pœnitens probabilius judicans se non teneri restituere, est ritè dispositus: ergo &c. Distinguo: est absolvendus à Confessore ritè disposito, concedo; aliter, nego. In nostro casu Confessor non est ritè dispositus, ut absolvat pœnitentem: ut enim, juxta Adversarios, nisi pœnitens sequatur sibi probabiliorē, non est dispositus, ut absolvatur; ita, nisi Confessor sequatur sibi probabiliorē, erit ritè dispositus, ut absolvat: sed sequendo sibi probabiliorē, implicat, ut licitè absolvat, ut ostendit: ergo. Distinguat igitur dispositio Confessorii à dispositione pœnitentis. Porro si per Adversarios ad utriusque dispositionem necesse est, ut quilibet sequatur sibi probabilius, qualiter Confessor judicans esse restituendum absolvere poterit restituere nolentem? Nisi ergo Adversarii à suis principiis recedant, & concedant vel licitum sequi minus probabilem, vel satis aliquod reflexum judicium, vel negent, quòd Confessor absolvere possit pœnitentem opinantem oppositum, numquam se à nostro argumento expedient.

§. II.

Responsiones P. D. Thyrsi.

S U M M A R I U M.

Ait, quòd si Confessor sequatur singularem opi-

nionem, debeat eam deponere, & absolvere opinantem oppositum, n. 84.

Retorqueo a n. 85.

Aliud est judicium Confessoris de suis, aliud de pœnitentis dispositione, n. 86. & 87.

Negat satis esse judicium de probabilitate, n. 88.

Rejicio, n. 89.

Negat opinantem sibi minus probabilem, absolvi posse, n. 90.

Nullus Probabilista à Probabiliorista absolvi poterit, n. 91.

Negat absolvi posse, si Confessoris opinio sit communior, n. 92. & 93.

Vult, quòd Probabilista soli reflexio de probabilitate judicio mixto, mittendus sit ad aliam Probabilistam, n. 93.

Retorqueo paritatem Judicis, n. 94.

Absolutio ex Trident. est quasi actus judicialis, ibid.

Confessor absolvere nequit contra sibi certam opinionem, n. 95.

Suave ex P. Thyrsi pro Confessoris monitò, 96.

Dicit 1. diff. 14. n. 112. quòd si Confessor singularem sequatur opinionem, teneatur eam deponere, & conformare se pœnitenti; si verò non sequatur, ait n. 114. 124. & 125. quòd Confessor absolvere poterit pœnitentem oppositum opinantem, quia sequitur ut sibi probabiliorē, adeoque accedit ritè dispositus.

Sed contra 1. quia contra hanc judicii depositionem, ad quam obligat Confessorium sequentem opinionem singularem, ut sibi probabiliorē, recurrunt, quæ dixi sect. 1. contra depositionem judicii, ad quam Adversarii subditum obligant: ergo sive Confessor proprium judicium deponat, sive non deponat, potest, & debet eum absolvere.

Contra 2. quia ad Sacramentum concurrit tam pœnitens, quam Confessor; ergo in utroque requiritur sua dispositio, & alia est dispositio pœnitentis, alia Confessoris, nec ab unâ ad aliam valet illatio, aliàs pœnitens habens casus reservados, si cum dolore, & proposito accedat, absolvi posset à Confessore non habente eorum jurisdictionem; & Confessor ritè dispositus, ut absolvat, absolvere posset pœnitentem malè dispositum: ergo à rectâ dispositione pœnitentis, ut absolvatur, ad rectam dispositionem Confessoris, ut licitè absolvat, & e contra ab hac ad illam nulla illatio: ergo ex hoc quòd pœnitens sit ritè dispositus, non inferitur quòd à Confessore oppositum opinante absolvi possit. Debet ergo pœnitens, positis principiis adversis, adire Confessore, qui eandem opinionem, ut sibi probabiliorē, sequatur.

Contra